

fortasse Gentiles vel Judæi illam opinionem conciperent, non potest talis deceptio Petro attribui, quia de ejus facto colligi cum fundamento non poterat: nam tunc Petrus servavit legalia, quia Judæus erat et sibi erant permissa; ergo, quantum erat de se, non inducebat gentes ut existimarent sibi esse necessarium servare legalia. Unde si ipsi inde sumebant occasionem hoc opinandi, erat occasio potius accepta quam data: erat ergo scandalum passivum potius quam activum: ergo de se nullum erat peccatum in Petro respectu Gentilium. Poterant enim facile intelligere Petrum id fecisse, ut condescenderet Judæis, quia hoc ei licebat, et, per se loquendo, liberum illi erat vel conversari cum gentibus, vel separari juxta legem. Neque etiam respectu Judæorum putabat Petrus occasionem scandalii, quia etiam non erat causa deceptionis illorum, sed permittebat illam ad vitandum majus malum, quod eis timebat.

29. *Probabilis modus excusandi Petrum ab omni peccato.* — Concluditur Petrum nullo modo peccasse. — Hoc ergo modo videtur posse non improbabiler defendi factum illud Petri nullo modo fuisse peccaminosum, non solum ob naturalem inconsiderationem, sed etiam quia, omnibus circumstantiis pensatis, prudenter judicare potuit, se in eo facto non dare scandalum activum; et, si quod erat passivum, se non obligari ad vitandum illud, quia major tunc erat necessitas Judæorum, graviusque putabat esse nocumentum quod eis imminerebat. In quo errare quidem potuit Petrus, errore tamen facti, non juris, et sine periculo culpæ, non solum quia probabilibus conjecturis ducebatur, sed etiam quia electio non inter licitum et illicitum, sed inter expediens et non expediens fiebat: multa enim licent quæ non expediunt, teste Paulo 1 Corinth. 6. Unde, licet erretur circa licitum et non expediens, non erit culpa, sed impedimentum majoris boni, ut ibi notat D. Thom. Hunc ergo defectum in Petro negare non possumus, et ille sufficit ut vere Paulus dixerit illum esse reprehensibilem, et merito restiterit. Quia revera ad conversionem gentium et instructionem Judæorum, et ad puriorem libertatis Evangelii prædicationem magis expediebat non separari a gentibus, et Judæos instruere. Et alioqui Petrus, ratione officii, debuerat tunc eligere quod maxime expediebat. Et nisi Paulus occurreret, majus commune bonum Ecclesiæ impeditum fuisset; hoc ergo titulo fuit vera, prudens, ac necessaria ejus

reprehensio. Et hoc etiam satis est ut Paulus dicere potuerit Petro: *Cur gentes cogis judaizare?* quia, licet non daret scandalum activum, non tollebat passivum, quando, non solum licite, sed etiam perfectius et constantius operando, id facere potuisset. Hoc ergo modo potest recte intelligi illa dissensio pacifica et sancta, ut dixit Philo, sine culpa Petri, et sine elatione vel temeritate Pauli, cessantque calumniæ antiquorum infidelium et novorum hæreticorum, quibus nunc respondere non est necesse, quia et doctores allegati id sufficienter præstant, et res est per se satis clara.

CAPUT XXI.

QUANDO LEX VETUS CŒPERIT ESSE INUTILIS QUOAD EFFECTUS SUOS.

1. *Circa tempus quo lex illa cœperit esse inutilis.* — *Triplex utilitas in illa lege consideranda.* — Tria in illa lege in superioribus distinximus: unum est institutio talis congregationis cum omnibus pertinentibus ad divinum cultum et ad reipublicæ gubernationem; aliud est obligatio legis; tertium est utilitas seu effectus legis. Et de primo ac secundo explicuimus quando et quomodo cessaverint; superest ergo ut de tertio pauca dicamus. Nam, licet ex dictis aperte sequatur legem illam jam perdidisse omnem utilitatem, quia est prorsus abrogata et evacuata, lex autem ablata nullam efficaciam legis habere potest, nihilominus circa tempus in quo lex illa inutilis esse cœpit, aliquid superest explicandum. Seclusa autem institutione et obligatione, triplex efficacia seu utilitas in lege illa considerari potest. Prima est efficacia in pœnis imponendis et irritandis contractibus. Secunda est vis permitendi, dispensando in aliquibus rebus pertinentibus ad naturalem legem. Tertia est nonnulla utilitas ad justificationes legales, aut ad justitiam coram Deo, vel ex opere operantis, vel ultra illud.

2. *Lex illa non amisit vim suam coactivam et punitivam in morte Christi, nec ante diem Pentecostes.* — Primo ergo, ut a clarioribus incipiamus, consequenter ad superius definita, dicendum est legem illam non amisisse vim suam coactivam et punitivam in morte Christi, nec ante diem Pentecostes. Probatur primo, quia præcepta pœnalia illius legis non fuerunt eo tempore mortua quoad vim directivam obligandi in conscientia, ut supra ostensum est; ergo nec quoad vim coactivam, per quam inducebant reatum pœnæ in lege taxatæ contra

transgressores. Probatur consequentia, quia vis directiva ejusque obligatio est principale quid in lege, pœna vero est accessorium: ergo durante principali, durat accessorium, nisi aliunde constet directe et specialiter ablatum esse seu remissum ab eo qui legem tulit, vel alias breviorum terminum esse positum in lege circa impositionem pœnæ, quam obligationis: neutrum autem in præsentem invenitur, neque cum fundamento fingi potest. Declaratur præterea, quia vel talis pœna fiebat per ipsammet legem vel erat per judicem imponenda. Prior fieri potuit per ipsam legem, quamdiu abrogata non fuit, propter rationem factam et quia non est major ratio de obligatione ad culpam quam de hoc effectu. Posterior autem pœna inducebatur per legem pro eo tempore, quoad reatum seu debitum: eadem autem ratione poterat executioni mandari per magistratus illius populi, per se et quantum erat ex vi illius legis, quia non amiserant jurisdictionem suam, nec illa respublica statum mutaverat, ut ostensum est. Retinuit ergo illa lex suam vim coactivam toto illo tempore.

3. *Duo inferuntur.* — *Primo, quamdiu illa præcepta vim habebant.* — *Secundo, præceptis cessantibus quoad obligationem, cessabant quoad alios effectus pœnales et irritandi.* — Ex quo licet duo inferre: unum est, præcepta illius legis irritantia quædam matrimonia vel aliquos contractus, irritasse illos etiam post mortem Christi, si in gradibus in lege prohibitis, vel cum aliis similibus impedimentis fierent, quamdiu illa lex, quoad obligationem, abrogata non fuit. Ratio est, quia quamdiu habuerunt vim ad obligandum vel prohibendum, habuerunt etiam vim ad irritandum, quia non est major ratio de uno quam de altero, ut dictum est. Aliud corollarium est, quamprimum illa præcepta cessarunt quoad obligationem, cessasse etiam quoad omnes effectus pœnales et irritandi. Probatur ratione proportionali, quia etiam in hoc est eadem ratio utriusque effectus. Item tales leges, ut pœnales vel irritantes, sunt positivæ et judiciales; sed, abrogata illa lege, omnia præcepta judicialia abrogata sunt: ergo etiam illæ leges ut pœnales et irritantes abrogatæ sunt, ac subinde amiserunt vim efficiendi tales effectus. Denique de effectu pœnæ est res clara, quia cessante vi directiva, cessat etiam coactiva: et præsertim in illis legibus pœnalibus quæ erant mixtæ; et ideo cessante principali, scilicet, obligatione ad talem actum vel omissionem, cessat etiam accessorium, quod est pœna. Quin

potius, licet actio, ob quam pœna imponebatur per talem legem, esset de se mala et jure naturæ prohibita, nihilominus jam cessasset illa pœna, vel quia, licet in tali actu esset prohibitio naturalis, cessat prohibitio illius legis, etiam in conscientia, cui proxime adjungebatur pœna, vel quia, licet daremus legem illam solum addidisse pœnam obligationi naturali, nihilominus illa additio erat positiva et judicialis, et ideo, abrogatis illis legibus quoad obligationem positivam in conscientia, etiam abrogantur quoad obligationem sub reatu talis pœnæ, ut recte sensit Castro, lib. 1 de Leg. pœnal., c. ult. Idemque est cum proportione de promissionibus specialibus illius legis; fiebant enim operibus illius legis, ut erant illius impletiva, et per modum pacti mutui, et ideo cessante obligatione ex parte unius extremi, cessavit ex parte alterius. Item idem est cum proportione de effectu irritandi; nam irritatio, si additur prohibitioni naturali, est veluti quædam pœna, et in ea procedit ratio facta; si vero sit addita prohibitioni positivæ ejusdem legis, intrinsece supponit illam, et ab illa pendet, ideoque illa cessante necessario cessat.

4. *Dubitatio.* — *Responsio.* — Quæri vero consequenter potest, quando lex illa amiserit virtutem quoad hos effectus, an, scilicet, in initio promulgationis Evangelii, et per successionem et augmentum illius, vel solum post consummatam promulgationem Evangelii. Respondeo, consequenter ad dicta, distinguendum esse inter præcepta cærimonialia et judicialia; et de cærimonialibus dicendum est a die Pentecostes incœpisse amittere hanc efficaciam, et successu temporis illam omnino amisisse quoad locorum extensionem, sicut diximus legem illam mortuam fuisse: nam quoad hunc effectum eadem est proportio, ut rationes factæ probant; at vero quoad præcepta judicialia non cœpit illa lex amittere hanc efficaciam donec synagoga extincta est post consummatam Evangelii promulgationem. Quia (ut supra dixi), quamdiu respublica Judæorum statum suum retinuit, et cærimoniiis suis jure usa est, judicialia præcepta non amiserunt vim obligandi; ergo nec puniendi vel irritandi, etc., nam in hoc etiam eadem servatur proportio. Promulgato autem Evangelio, quando lex illa cœpit esse mortifera quoad cærimonialia, cœpit etiam esse mortua quoad judicialia, et consequenter cœpit etiam esse inutilis ad prædictos effectus, ut rationes factæ probant.

5. *Matrimonia in gradibus prohibitis illa lege nunc valere.*—Unde obiter infertur, et matrimonia nunc contracta inter Judæos, in gradibus illa lege prohibitis, valida et rata nunc esse, exceptis primis gradibus qui de jure naturæ matrimonium irritant; ratio est clara ex supra dictis, quia illa etiam respectu talium Judæorum infidelium abrogata est quoad obligationem; ergo etiam quoad irrationem, juxta ea quæ proxime diximus. Neque refert quod ipsi peccent ex conscientia erronea, quia conscientia erronea circa jus non sufficit ad irrationem actus, licet ad peccandum sufficiat; et ita sentit in simili casu Soto 4, d. 39, art. 1, in fine; et sequitur Navar., cons. 2, de Conversione infidel., n. 4; Sanci., lib. 7 de Matrim., disp. 7, num. 6; contrarium vero sentit Henriq., lib. 12 de Matrim., cap. 1, num. 5, ubi sensit talia matrimonia contra legem contracta inter infideles Judæos invalida esse, quia illa lege gubernantur; et allegat Cov. in 4, 2 p., cap. 6, § 6, alias 10, num. 3, qui aliquo modo favet, dum ait Judæos infideles in contrahendis conjugiiis, suis legibus (utique latis Levit. 18) gubernari, quod ex aliis jurisperitis allegat; non tamen explicat an jure id intelligendum sit, vel tantum facto, vel quis effectus inde sequatur. Citat etiam D. Thomam in addit. quæst. 59, art. 2, ad 3, alias in 4, dist. 39, art. 2, ad 3, ubi nihil de Judæis loquitur, sed in genere dicit impedimentum disparitatis cultus non esse de jure divino inter infideles, licet possit jure humano per suas leges introduci. Citat etiam Navar. in Sum., cap. 22, num. 48, qui etiam solum de infidelibus generatim dicit matrimonium inter eos non valere si sit contra eorum leges: quod generatim verum est. Tamen leges Levitici jam non possunt dici leges Judæorum infidelium; tum quia jam non sunt leges; leges enim abrogatæ, leges non sunt; tum etiam quia non sunt latæ pro illis, sed pro republica fideli ecclesiastica Judæorum, quæ jam non extat: unde parum refert quod ipsi Judæi velint illis legibus gubernari, quia solum est ex conscientia erronea, ut dixi; putant enim legem illam ut divinam adhuc vigere. Quod si quis fingat Judæos, non obstante abrogatione, potuisse illas leges nunc acceptare, respondemus id quidem potuisse locum habere, si Judæi nunc haberent propriam rempublicam, et in ea supremam potestatem, vel principem supremum in temporalibus, qui possit leges ferre. Nam in eo casu leges illæ habere possent efficaciam, tam

ad obligandum quam ad irritandum, non tamen ut divinæ, sed ut humanæ: nam leges judiciales possunt hoc modo acceptari. At nunc Hebræi nullum habent principatum nec rempublicam propriam et liberam, et ideo, licet velint tales leges acceptare, vel quasi restituere, non possunt, sicut nec possunt alias leges civiles sibi constituere; sed legibus principum quibus subsunt, gubernandi sunt: nullo ergo modo potest illa opinio sustineri.

6. *Quam vim habuit usque ad diem Pentecostes.*—Secundo, dicendum est legem veterem ante diem Pentecostes non amisisse vim suam quoad effectum dispensandi, seu permittendi ea quæ contra jus naturæ aliquo modo permittebat. Hæc assertio eodem modo quo præcedens explicanda est; ratio enim prioris partis est, quia illa lex intacta mansit (ut sic dicam) toto illo tempore, nec magis quoad hunc effectum quam quoad alios revocata est, quia nihil de hoc effectu specialiter statutum est, nec terminus durationis in illis præceptis fuit diversus, aut magis limitatus quam in aliis. Unde si, in triduo mortis Christi, vel in discursu dierum Paschalium usque ad Pentecostem, Judæus dimitteret uxorem juxta permittitum legis, matrimonium vere dissolveretur, juxta probabiliorum sensum illius legis, quem supra secuti sumus. Potest vero objici quia Christus Dominus jam dixerat, et satis publice prædicaverat: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, mæchatur; et qui dimissam duxerit, adulteratur*, Matth. 5 et 19. Respondet illis locis docere tantum voluisse, illam legem Moysi fuisse ex quadam dispensatione quæ jam suo tempore cessatura erat, et ad statum perfectiorem et legi naturali consentaneum reducenda. Non tamen tunc antiquam legem, vel generaliter, vel illam in particulari revocavit, sed tantum ad revocationem futuram (ut sic dicam) viam et animos præparavit, per doctrinam et declarationem veritatis, non per promulgationem alicujus novi præcepti.

7. *Dubitatio.*—*Responsio.*—Difficultas vero est an a die Pentecostes coeperit ille effectus cessare. In quo breviter considerandum est leges concedentes seu facientes hujusmodi effectus judiciales fuisse, ut constat de lege repudii, et similibus; ideoque verisimilius esse, non fuisse mortuas usque ad integram mutationem status synagogæ, quæ tunc facta est quando, promulgato Evangelio, lex illa coepit esse mortifera: ergo usque ad illud tempus

durare potuit hic effectus. Item pro illo tempore legitime duravit illius reipublicæ status: ergo liberum fuit illi uti legibus ad eundem statum pertinentibus; ergo etiam fuit liberum uti privilegiis et favoribus per illas leges sibi concessis. Denique pro eo tempore durabant onera et rigores legum judicialium: ergo et favores; nam hi magis ampliandi sunt; imo beneficium principis durat quamdiu aperte non revocatur. At vero post illud tempus, et promulgato sufficienter Evangelio, evacuata est omnino illa lex quoad hos effectus, quia ex tunc judicialia etiam præcepta fuerunt omnino mortua et extincta. Item quia eadem est ratio de hoc effectu et de obligatione, tum quia tota illa lex eundem terminum obligationis, et concessionis habuit, et absolute revocata est; tum etiam quia similis dispensatio maxime pertinebat ad imperfectionem illius legis, et ideo per legem Christi perfectam revocata est; tum denique quia quibus auferebatur onus, debuit etiam auferri commodum, præsertim adeo imperfectum et legi naturali dissonum.

8. Unde fit consequens nunc inter Judæos infideles non dissolvi matrimonium virtute illius legis, et consequenter matrimonium contractum cum alia post tale repudium nullum esse; et si talis vir convertatur ad fidem, separandum esse a secunda, et cogendum esse reverti ad primam, si tamen illa converti etiam velit. Nam si nolit, jam ex alio capite dissolvitur prius matrimonium, et licebit viro denuo ducere secundam Christianam, si velit, ut tradit Innoc. III, in cap. *Gaudemus*, de Divort., ubi, licet non in specie de Judæis, sed generatim de infidelibus loquatur, tamen Judæos etiam comprehendit, quia Christus ita statuit, et consequenter contrarias leges, sive injustas sive justas, revocavit. Et ita docent doctores ibi, theologi in 4, dist. 33, et expositores Matt. 5 et 19, ubi Abulens., quæst. 63, et alii quos refert Sanc., lib. 10 de Matrim., disput. 1, n. 9 et 10. Et quod explicuimus in permissione repudii applicandum cum proportionem est ad permissionem usurarum, et similes.

9. *Lex Moysi usque ad diem saltem Pentecostes retinuit vim sanctificandi legaliter, donec lex facta sit mortifera.*—Dico tertio: lex Moysi usque ad diem saltem Pentecostes retinuit vim sanctificandi legaliter seu justificandi carnaliter quam habebat, donec lex facta fuit mortifera, ex tunc vero illam omnino amisit. Hæc assertio sequitur aperte ex dictis

supra de duratione institutionis illius legis. Quia cæremoniæ illius legis pro toto illo tempore retinuerunt totam suam institutionem seclusa obligatione; ergo retinuerunt vim sanctificandi legaliter, quam ab institutione habebant. Deinde probatur ex locis sæpe citatis Actor. 21 et 23, ubi Paulus dicitur se purificasse; illa enim purificatio erat quædam legalis sanctificatio; ergo nondum erat illa lex mortua quoad hunc effectum. Eademque ratio est de omnibus sacrificiis, vel oblationibus, aut variis baptismatibus ordinatis ad similes sanctificationes et munditias carnis.

10. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices: illa lex erat mortua quoad irregularitates et immunditias quas inducebat, ergo etiam quoad sanctificationes legales. Patet consequentia, quia illæ irregularitates erant quasi materia talium sanctificationum. Antecedens vero patet, quia irregularitatum inductio ejusdem rationis est cum impositione pœnæ, et ad vim coactivam similiter pertinet; ergo ita cessarunt irregularitates sicut et pœnæ. Nam in utrisque versatur eadem ratio, scilicet, quod talis effectus pendet ab obligatione legis, et ideo cessat illa cessante. Respondetur negando antecedens, et ad probationem dici potest etiam pœnas non cessasse donec lex fuit mortifera. Verumtamen hoc non est universale; habet enim locum in judicialibus, non in cæremonialibus, ut dixi. Et ideo respondeo negando similitudinem, quia irregularitates non pertinebant proprie ad vim coactivam, quia non erant pœnæ; non enim imponebantur propter transgressiones aliquarum legum, sed ut illæ cæremoniæ certo modo magis decenter fierent. Et non est eadem ratio de illis quæ de pœnis; neque etiam pendebant ex absoluta obligatione legis quoad exercitium, sed ex institutione, et ad summum ex obligatione quoad specificationem quæ tunc durabat, ut supra declaravi. Pertinebant enim hujusmodi irregularitates ad ritus illarum cæremoniarum, et ad modum exercendi illas per legem institutum, et ideo durante institutione durabat etiam obligatio non exercendi illas cum tali indecentia legali, nisi præmissa purificatione, et ita durabat uterque effectus.

11. *Ad quid valebant opera ex illa lege facta antequam mortifera fuerunt.*—Dico quarto: quamdiu lex non fuit mortifera, opera ejus valere potuerunt ad spiritualem sanctificationem operantium, per modum meriti vel satisfactionis ex opere operantis, si ex fide et charitate fierent. Quod enim Ezechiel. 20 dicitur: *Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo vivet*

in eis, etiamsi de spirituali vita intelligatur, verum habet pro toto illo tempore pro quo lex non fuit mortifera. Ratio est, quia pro toto illo tempore illa lex quoad institutionem duravit; ergo opera ejus erant opera honesta, religiosa et Deo placita; ergo, si ex fide et charitate fierent erant meritoria vitæ æternæ et augmenti gratiæ, et satisfactoria pro temporali poena. Nam hæc omnia ex parte operis non fundantur in obligatione legis, sed in honestate operis, quam honestatem habere potest opus in ordine ad legem ut instituentem, etiamsi cessaverit ejus obligatio. Confirmatur, quia opus factum ex conscientia erronea invincibilis ignorantia, ac propterea honestum, est meritorium apud Deum, si aliæ conditiones concurrant; ergo multo magis opus factum ad cultum Dei, secundum quamdam veram institutionem ejus, est de se capax meriti, si aliunde operans sit in gratia, et ex fide operetur, etiamsi non ex necessitate legis id faciat; hoc enim non impedit meritum, ut patet in operibus consiliorum, vel in eleemosyna ex supererogatione facta. Eo vel maxime quod multi Judæorum conversi ad Christum ex ignorantia invincibili potuerunt illa opera facere pro aliquo tempore, quasi necessaria ex lege, quia sine culpa putabant obligationem ejus non cessasse.

12. *Objectio.* — *Duæ responsiones.* — Dices: cur dicitur illa lex mortua pro illo tempore, si opera ejus tam viva erant (ut sic dicam) pro illo tempore, ut possent etiam spiritualiter justificare saltem quoad augmentum justitiæ coram Deo. Respondetur primo opera illa, ut supra dictum est, non habuisse hujusmodi vitam ab ipsa lege, sed a fide viva, seu a gratia et charitate, quam fides impetrat. Est autem tanta vis gratiæ et charitatis, ut etiam opera legis mortua ita possit vivificare, ut faciat illa meritoria apud Deum. Secundo, dicitur legem illam non fuisse simpliciter mortuam pro illo tempore quoad omnia, sed quoad obligationem; quia vero obligatio est veluti primarius effectus legis, ideo in communi modo loquendi inde denominata est mortua. Re tamen vera mansit aliquo tempore viva quoad institutionem, seu in ratione cujusdam regulæ operandi ea quæ ad divinum cultum pertinerent; inde enim fit ut opera facta per conformitatem ad talem legem haberent honestatem moralem religionis, ac subinde ut facta ex fide et informata charitate, essent meritoria et sanctificativa animæ ex opere operantis.

CAPUT XXII.

QUOMODO CIRCUMCISIO CESSAVERIT QUOAD SANCTIFICATIONEM INFANTIUM.

1. *Variæ sententiæ proponuntur.* — Superest dicendum de sanctificatione extra vel ultra meritum operantis vel recipientis, quod solum habet locum in circumcissione parvulorum: nam reliquæ cæremoniæ illius legis non habebant talem effectum, nec circumcisio ipsa in adultis, ut nunc suppono ex supra dictis, et ex materia de Sacramentis. In quo puncto aliqui dicunt circumcissionem evacuatam fuisse in die mortis Christi in ratione remedii parvulorum quoad originale peccatum; alii in die resurrectionis, vel Pentecostes. Alii vero putant fuisse utilem usque ad perfectam Evangelii promulgationem, et ita neque in die Pentecostes, neque per aliquot annos fuisse evacuatam circumcissionem quoad fructum. Sed hoc resolvendum censeo juxta principia posita de cessatione illius legis quoad obligationem, et cum eadem proportionem. Et quia eadem est ratio quoad hoc de circumcissione pro Judæis, et de sacramento legis naturæ, quo uti poterant fideles qui erant inter Gentiles ante Christi adventum, ideo de utroque simul dicam.

2. *Hujusmodi remedia non fuisse evacuata in puncto mortis vel resurrectionis Christi, nec usque ad diem Pentecostes exclusive.* — Primo ergo assero hujusmodi remedia non fuisse evacuata in puncto mortis vel resurrectionis Christi, neque utique ad diem Pentecostes exclusive. Probat, quia toto illo tempore nondum Baptismus erat necessarius ad salutem: ergo adhuc priora remedia erant utilia: nam si illa inutilia facta essent, tota virtus reducta esset ad Baptismum, et consequenter jam fuisset necessarius. Antecedens significatur sufficienter a Concilio Tridentino, sess. 6, c. 4, dicente a promulgatione Evangelii neminem justificari a peccato originali sine Baptismo, in re, vel in voto: sentit ergo ante illud tempus non incepisse Baptismi necessitatem. Ratio etiam id convincit, quia ante Christi mortem non erat talis necessitas, ut omnes fatentur, et a morte usque ad adventum Spiritus Sancti nulla nova promulgatio Baptismi facta est, neque illi aliquid additum, ex quo illa necessitas oriri potuerit. Unde merito D. Thomas, 3 p., q. 66, art. 2, docuit præceptum Baptismi non obligasse donec Christus, post resurrec-

tionem, dixit Apostolis: *Ventes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ut autem ibi notavi disp. 31, sect. 1, circa finem, non est existimandum, eodem die et momento quo Christus Dominus illa verba protulit cœpisse præceptum Baptismi obligare, sed quando Apostoli executioni mandarunt quod tunc Christus præcepit: *Ventes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., quod ante Pentecostem factum non est. Et confirmatur, quia incredibile est infantes omnes eo tempore mansisse sine remedio quod moraliter eis applicari posset: hoc autem secutum fuisset, si utilitas circumcissionis antea sublata fuisset: ergo et illud prius est incredibile. Consequentia cum majori notæ sunt: minor autem probatur, quia licet Baptismus esset institutus, non tamen sufficienter propositus majori parti hominum: ergo non poterat moraliter applicari et esse utilis.

3. *Responsio aliquorum.* — *Refellitur responsio.* — *Responsio Soto.* — *Refellitur.* — Respondent aliqui non esse inconveniens illud quod infertur, quia illa impotentia erat per accidens ex ignorantia parentum; nam remedium de se sufficiens jam erat datum, et legislator optime potest revocare privilegium vel irritare factum a die in quo condit aliam legem, etiamsi ad notitiam subditorum non pervenerit. Sed hoc profecto alienum est a divina providentia (nam de potentia absoluta non disputamus). Postquam enim Deus ex se voluit omnes homines salvos facere, debuit constituere remedium humano modo possibile et utile: Baptismus autem institutus et non sufficienter promulgatus non erat remedium humano modo utile, nec pro toto mundo possibile. Præterquam quod Christus Dominus non statuit obligationem suæ legis in puncto passionis magis quam antea, et idem est de puncto Resurrectionis, et quolibet alio usque ad promulgationem illius, ut infra dicam. Et incredibile etiam est passionem Christi statim attulisse tam magnum nocumentum omnibus infantibus, qui, pro illo tempore, sancto et legitimo ritu circumcidebantur, et alias baptizari moraliter non poterant, vel etiamsi posset, parentes eorum nondum eos baptizare tenebantur. Aliter respondet Soto, supra, circumcissionem eo tempore fuisse utilem secundum generalem rationem protestationis fidei, non secundum specialem rationem sacramenti legis veteris. Sed hoc habere posset locum si circumcisio tunc fuisset mortua; cum tamen dictum sit illam tunc nondum

fuisse mortuam quoad obligationem, nec quoad utilitatem esse potuit, et ita non habet locum distinctio. Ut omittam fortasse circumcissionem nunquam aliter fuisse utilem quam remedium legis naturæ, sed tantum pro judaico populo generale remedium determinatum fuisse ad talem cæremoniam: ergo sicut remedium legis naturæ non cessavit ante Baptismi necessitatem introductam, ita nec circumcisio pro illo populo; quia neutrum remedium per se ablatum est, sed ad introductionem alterius perfectionis ac propositi ut necessarii, nimirum Baptismi.

4. *Ita cessavit circumcisio in die Pentecostes quoad fructum gratiæ, sicut cœpit Baptismus esse ad salutem necessarius.* — Unde infero a die Pentecostes ita cessasse sacramentum circumcissionis quoad fructum gratiæ qui in eo dabatur, sicut cœpit Baptismus esse ad salutem necessarius. Probat, quia unum remedium quoad dictum effectum non fuit exclusum nisi per necessitatem alterius, ut ostensum est. Confirmatur, quia remedium legis naturæ, quod durabat in gentibus fidelibus, non fuit antea neque alio modo privatum sua utilitate, propter rationem factam, et quia non fuisset alius conveniens providentiæ modus; ergo eadem proportionem judicandum est de circumcissione quoad infantes Judæorum. Unde fit ut non simul facta sint inutilia illa antiqua sacramenta pro toto orbe, sed successive, sicut lex gratiæ introducebatur et obligare incipiebat, quia eodem modo incipiebat Baptismus esse necessarius, et ita pari modo desinebant tam circumcisio quam sacramentum legis naturæ esse utilia.

5. *Objectio.* — *Responsiones duæ.* — Dices non esse in hoc parem rationem de populo judaico et gentili. Nam quoad judaicum in die Pentecostes fuit satis consummata promulgatio Baptismi, quia hæc quodammodo inchoata fuerat toto tempore prædicationis Christi et Apostolorum, vivente ipso; non vero gentibus, nam ipsemet Christus dixerat, Matth. 10: *In viam gentium ne abieritis*; et de se dicebat: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, Matth. 15, quia illis tantum tunc fiebat promulgatio. In die autem Pentecostes erant in Jerusalem congregati Judæi ex omni natione quæ sub cœlo est; ergo pro illis satis fuit tunc consummata promulgatio; ergo pro illis cessavit tunc tota utilitas circumcissionis: ergo fuit evacuata omnino, quia tantum pro illis utilis erat. Res-